

XLI. His probè observatis, corrui sua sponte asser-  
tum (1.) Bellarmini, Tom. 1. lib. 1. de Christo Cap. 6. scri-  
bentis: *Non intelligas eum constitutum heredem temporali de-  
natione, sed aeterna generatione.* (2.) Socinianorum, *Chri-  
stum non esse constitutum Dominum omnium, uti Pater est, sed  
tantum Ecclesiae, & eorum, quae ad Ecclesiam pertinent, do-  
centium.*

XLII. Secunda prerogativa è nomine excellenti, Chri-  
sto homini dato, elucescit, quo de sic v. 4. *Τοσούτω κρείττων  
γενόμεν τῶν ἀγγέλων, ὅσων διαφορώτερον πᾶρ' αὐτῆς κεκληρο-  
νόμηκεν ὄνομα.* Quodnam vero nomen illud sit, versu statim  
sequente exprimitur, videl. *Filius Dei.* Duo autem ibi  
connectuntur scripturae V. T. oracula, quorum prius de  
aeterna Filii Dei generatione agit, prout supra ostensum.  
Posterius autem de eodem, quatenus e sanguine Davidis  
est oriundus & sic habet: *Ἐγὼ ἔσομαι αὐτῷ εἰς πατέρα, καὶ  
αὐτὸς ἔσται μοι εἰς υἱόν,* ex 2. Sam. VII. 14. Ad ostendendum,  
Christum, qui ex semine Davidis est secundum carnem,  
esse illum ipsum Filium Dei, ad quem Pater Ps. II. dixit:  
*Filius meus es tu, ego hodie genui te;* adeoque unam esse  
personam Filium Davidis & Filium Dei, uti hoc praclare  
monstrat Excell. Calovius in Annot. ad h. l. Quamvis er-  
go Angeli Job. II. omnesque homines Mal. II. 10. *ratione  
creationis;* pii & credentes *ratione etiam regenerationis &  
adoptionis* Job. I. 13. Filii Dei vocentur, Christus tamen, quia  
homo, per unionis personalis gratiam, & naturarum rea-  
lem κοινωνίαν est Filius Dei.

XLIII. Sed de dicto, 2. Sam. VII. 14, quod hoc loco  
suum facit Apostolus, varias reperire licet sententias. Alii  
enim de Salomone tantum loqui volunt, ut *Judaeorum non*